



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Francorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

gradum sacerdotij assumendum, tu illos, ut se ad superiores ordines faciant promoveri, per subtractionem beneficiorum appellatione cessante compellas. Alioquin in præfatis Ecclesiis personas idoneas, per quas hujusmodi possint suppleri defectus, juxta quod videris expedire, appellatione postposita ordines, removendo prorsus ab illis eos qui ad unam eandemque præbendam contra statuta canonica insimul sunt assumpti, non obstante contradictione insufficientium vel eorum qui tales eligere vel assumere præsumperunt. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI  
Francorum.

*Super hoc scriptum est dilectis filiis Abbati sancti Victoris, W. Archidiacono, & Cancellario Parisiensi ut dictum Regem ad hoc efficaciter monerent & prudenter inducant.*

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Germani de Pratis Parisiensi.

Cum olim ex parte vestra nobis fuisset querimonia præsentata quod nobilis mulier H. de Nongento & filij ejus ac quidam alij Sueffionensis diocesis homines monasterij vestri sua potentia deprimentes carceri manciparent, & eis imponentes exactiones indebitas, prata, vineas, & alias possessiones vestras invaderent violenter, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Decano sancti Frambaldi & magistro I. Canonico Silvanectensi nostris dedimus litteras in mandatis ut præfatam nobilem & alios monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ab hujusmodi præsumptione desistere &, ut tenebantur, restituere occupata. Cum igitur iidem prædictam nobilem legitime citavissent, & ipsa per magistrum H. procuratorem suum ipsorum se conspectui præsentasset, super diversis capitalis & querelis quæ in eorundem judicium sententia continentur expressæ hinc inde propositis lis exitit contestata, & legitimis induciis assignatis, testes quos pars utraque prouexit iidem iudices receperunt. Quorum depositionibus postmodum de consensu partium publicatis, & competentibus terminis disputatione pluries habita super eis, tandem partibus injunxerunt ut suas redigerent allegationes in scriptis, & eas sibi termino quem eis assignaverant præsentarent. Verùm procurator nobilis antedictæ statuto termino comparuit coram eis, & temporis præscriptionem allegans, ad probandum eandem inducias postulavit. Iudices verò, quia jam erant depositiones testium publicatæ, interloquendo dixerunt quòd super hoc testes non erant aliqui admittendi, sed si haberet aliqua instrumenta, illa exhibere curaret. At procurator prædictus ab interlocutoria ipsa vocem ad nos appellationis emittens, appellationi suæ certum terminum assignavit. Verùm quia in nostris litteris remotus erat appellationis objectus, dicti iudices, habito super hoc juris peritorum consilio, appellationem ipsam frivolam reputantes, & ad proferendam sententiam certum terminum præfigentes, præfatam nobilem peremptoriè citaverunt, in quo vobis comparentibus, ipsa

Epist. 112.  
Confirmatur  
quardam sen-  
tentia Jara pro-  
cia.

Epist. 111.  
De libertate  
sententi in fa-  
vorem Eccle-  
siarum.  
Fidei scripta epist.  
110. & infra  
lib. 11. epist. 76

Sinceræ caritatis affectio quam erga personam tuam gerimus nos inducit ut quanto propensius regium zelamur honorem, tanto sollicitius tibi suadere curemus ne quid unquam per te vel tuos erga sanctam Ecclesiam Christi sponsam aut ipsius jura improvidè attentetur per quod ei valeat derogari, præsertim cum illius intuitu à quo ad ipsius defensionem Ecclesiæ gladium suscepisti, eandem tenearis potius defensare. Sanè ad nostram noveris audientiam referente venerabili fratre nostro Rothomagensi Archiepiscopo pervenisse quòd justitiarum tui per Normaniam constituti & quidam alij regis ditioni subjecti, postponentes penitus zelum Dei, præpediunt laicos ægritudine laborantes ne de terris suis vel hereditatibus aliquid in elemosynam alicui largiantur sive pro suarum animarum salute secundum ecclesiasticam sanctionem, vel condant testamentum exinde in ultima voluntate, imponentes illis post obitum crimen, sicut asserit, usurarum qui poenitentes iudicio Ecclesiæ satisfactione præmissa, viam sunt universæ carnis ingressi, ut prætexto criminis usurarum decedentium bona fisco regio in detrimentum juris ecclesiastici applicentur. Quia igitur te non decet hujusmodi sustinere, cum hoc vergat in derogationem ecclesiasticæ libertatis, serenitatem regiam rogamus & monemus quatinus executores præfatos taliter ab hujusmodi temeritate tradita tibi potestate compescas quòd moderamine regio hæc detestanda extorsio extirpetur, & præter æternam gloriam, quam ex hoc promereberis in futuro, gratiam tibi Dominus auceat in præsentem. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.